

B. C. D.

PARTEM POSTERIOREM

*DISQVISITIONIS HISTORICO
POLITICÆ*

De

HOMAGIO,

*Consent. Ampliss. Facultate Philos. in
Regia ad Auram Academia,*

Sub Moderamine

ISAACI BJÖRKLUNDI

Haec tenus Sacrarum Linguarum,
jamque S.S. Theolog. Prof. Ord.

Pro GRADU MAGISTERII

Examinandam modeste sistit

JOHANNES JOH. BRAXER,
Ostrobohn.

Die XVI. Junii, Anno

MDCCXXXV.

loco horisqve solitis.


A B O Æ,

Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac., Typ.

S:æ R:æ M:tis
Magnæ Sidei VIRO ,
Reverendissimo Patri ac Domino,
Dn. JONÆ FAHLENIO,
S. S. Theologiæ DOCTORI Celeber-
rimo , inclitæ Diœceſeos hujus Abo-
ënsis EPISCOPO , Regiæ itidem Aca-
demia PRO-CANCELLARIO , Con-
ſistorii Ecclesiastici PRÆSIDI Emi-
nentissimo , nec non Scholarum E-
PHORO benignissimo ,
MÆCENATI SUMMO.

IUgens ille , Reverendissime Dn. Pater,
favor , quem in TUOS ſemper collatum
vbluisti Clientes , anſam exiguaſ basce li-
neas Tibi consecranti mihi dedit . Qua-
propter ad Tuam configio benignitatem ,
velis pro ea , quæ Tibi propria eſt , huma-
nitate , pium offerentis animum potius ,
quam muneris vilitatem respicere . Deus
optimus ſervet Te Ecclesiæ propugnato-
rem , Diœceti noſtre fulcrum , Familia Tua
decus atque ſolatium , denique Clientibus
Mæcenatem & Patronum maximum .
Reverendissimi Tui Nominis .

Cliens humillimus
Joh. J. Braxer.



ADJUVANIE DEO.

§. VII.

*Ritus circa praestanda homagia
in Svetbia usitatos commemo-
rat.*

Uti apud omnes gentes moratores semper in usu fuit, ut asseverationes, interposita Summi Numinis invocatione circa casus peculiares, ubi ut fides data servaretur maxime videbatur necessarium, ex utraqve par-

A te

te pacifcentium fierent: ita
& id ipsum in hoc potissimum
negotio in usu fuisse apud Sui-
onas in prisca antiquitate, an-
nales patrii satis aperte testan-
tur. Verum ritus in iis ob-
servatos non nisi per summa
vacat capita attingere. Vide-
licet cum persona ad sum-
mum eminentiae & imperii
gradum evchenda, esset per
suffragiorum collationem el-
eta, toti primum multitudini
præsenti est monstrata. Con-
spicuum id cum primis est in
illorum exemplo, qui mino-
rennes solio sunt admoti: unde
& Olao Erici Victoriosi filio,
quod mortuo parente rex factus
sui gestaretur, ut historia
Her

Hervoræ tradit, nomen Eſtaut-
 konungr adhæſit. Notum
 etiam eſt, qvomodo olans
 præcipuus inter regni proce-
 res *Matthias Kettemundson*,
 Erici principis filius: *Magnus*,
 puerum vix tertium annum e-
 gressum, toti multitudini qva-
 si futurum regem, elevatum
 ſupra capita aliorum monstra-
 vit: qvod ipsum factum eſt
 juxta *Moraſtenar*/qvi locus e-
 lectioni eo tempore destinatus
 ſacratusque fuit. Qvo facto,
 rex electus proclamatusque,
 eodem die ac loco, populo
 in *Moraång* congregato, ſub
 dio jurata fide promittebat,
 ſe pro virili, ſua cuique jura
 inviolata, pacem, tranquillita-

tem & securam vitam servaturum. Unde qui illa temeraret, regis violasse dicebatur jurandum, h. e. bruta konungz edzore. Juriandum hoc rex olim præstitit, manu tangens codicem sive sacram, sive legum patriarcharum, quod stvaria a bof dicebatur; immo & reliquias sanctorum. Hodie vero electionis die rex ordinibus regni sponsionem tantum tradit, jurandum autem demum quum coronatur præstat, idque in genua procumbens, & manu codici sacro imposita. Populus vero qvondam homagium seu iuramentum fidei & subjectionis, Uplalæ altero die sequen-

quenti, sive in sacra porre-
ctis, sive sublevatis ad cœ-
lum manibus, præsttit. Hoc
similiter nunc coronatione per-
traeta a populo singulari so-
lemnitate præstatur. Specia-
les autem ritus in hoc nego-
tio tales plerumque fuere ade-
hibiti, qualis animis homi-
num insidebat de religione o-
pinio. Huc pertinet, quod
tempore *paganismi* per hau-
stum poculi votivi, Braga
begare factum in memori-
am heroum & fortium viro-
rum, quasi quodam sacra-
mento se obstrinxisse rex no-
vus narratur. *Papismo* vigen-
te, non rex tantum, verum
& populus imponebat manus
suas

suas etiam reliquiis sanctorum:
 unde illud in legibus patriis:
Sidhan skal Lagnadher och
 alnoghe alder / ceda ther
 svarja a book och hulgado-
 ma: item, hulgadoma the
 jach ahalder.* *Christianismi*
 vero repurgati ævo, introdu-
 cens fuit mos , hodie etiam
 vigens , tangendi manu co-
 dicem sacrum. Quum vero
 possibile non esset, ut cuncti
 in unum convenirent locum,
 ad regem eligendum , & ex-
 cipiendum ejus jurandum,
 & idem contra illi præstan-
 dum ; necessarium videba-
 tur, ut facta coronatione,
 singuli eum viderent, & co-
 ram de hisce cum eo transi-

ges

* Kong. B. L. L. Cap. V.

gerent. Novus itaque rex provincias circumire, & iurandum tam præstare, quam homagium a civibus accipere debuit, qualis protectio appellabatur rida Eriks gatu stna (a). Nostro xvo qui homagium solum in minibus interesset, nihilominus qui publicis funguntur muneribus, in provinciis jurciurando tum viva voce tum scriptura edito, fidem suam obstringunt.

§. VIII.

Rationes proponit, cur peregrini sint obligati ad præstare dum homagium.

Uti

(a) de qua phrasi consul. Loccen. antiq. Smeogoth. Lib. 2. c. 1.

UTi admissio peregrinorum
in rempublicam quam-
cunque, quæ nec tanta mo-
rum cultura, nec scientiarum,
artiumque floret copia & no-
bilitate, non tantum licita,
sed & utilis est & laudanda;
ita contra, ubi tanta corum,
cum primis uno ex regno &
solo natali confluit in rempu-
blicam multitudo, ut vel ad
officia & munera publica, ma-
xime nobiliora capeſcenda an-
helent & adſcendant, vel
partem potiorem commerci-
orum, plagas item quascun-
que regionum optimas, suas
faciant & ſibi vindicent, ſe-
duto tunc & circumſpecte eſt
cavendum, ne iſthæc licentia
gra-

grave reipublicæ incommo-
dum adtrahat. Exempla quip-
pe non ea tantum quæ anna-
les rerum apud exterros, vel
recentioribus, vel prioribus
evenisse temporibus, memori-
æ prodiderunt, hoc ipsum a-
leæ & periculi plenum fuisse
testantur; sed & idem lucu-
lenter condocent res in Sue-
thia gestæ, imperantibus prin-
cipibus tum Germanicis, tum
Danicis, tempore præsertim
fævitiae & tyrannidis Christi-
erninæ, nec non numerosæ
istæ pecuniæ etiam deinceps
ab exteris, & civitatibus po-
tissimum Hanseaticis, hinc ex-
portataæ, quorum omne fe-
re & solum fuit in patria no-
stra

nostra aliquando commercium. Quare juste non minus, quam prudenter ab exteris, qui mansionum suarum sedes habent in civitate aliena, jurandum fidelitatis sive homagium exigi posse putamus. Dum enim rector & princeps civitatis, sive respublica, eosdem ipsos aequali cura, gratia & clementia conservatos vult, ac reliquos alios cives proprios & genuinos; pari etiam ratione censemus unum, quemque a peregrinis intra limites imperii degentibus, exceptis legatis, qui ipsi summam representant majestatem, obligatum esse ad tuendam, conservandam, & sancte habendam

dam personā imperantis, adeo-
que ad homagium præstandum,
sive fidem suam per id publice
declarandam. Quemadmodum
enim nulli unquam peregrino,
quocunq; dictum loco in ci-
vitate habeatur, qvidqvam in
ejus detrimentum moliri fas est;
ita civitatis permagno interest,
certiorem fieri, in primis intra
se nihil periculi esse metuen-
dum. Multo ergo magis ubi
ad eandem cum nativis civibus
jurium & privilegiorum com-
munionem, recipiuntur pere-
grini, h. e. vel ad tempus ali-
quod tantum, vel in perpetu-
um naturalisantur, ut loqui
mos est; sequitur, ut & alio
quovis respectu æque habean-
tur ac alii cives, & omnia jux-

ta cum iisdem ad civitatis cō-
modum impigre præstent. Et
ut principes de hac securitate si-
bi caveant, tanto videtur ju-
stius, quanto probabilius red-
dit amor paternorum larium ro-
ti generi humano communis,
illos, qui ex alio solo natali or-
tum trahunt, id ipsum singu-
lari quodam, præ regione
quam incolunt, affectu asti-
maturos.

§. IX.

Vassallos etiam probat esse obligatos ad prestandum homagium.

DE personis vero in summa constitutis dignitate, & stemmate summo ortis, h. e. principibus, quos *vassallos* dicunt, difficilius videtur, quid sit

sit statuendum, utrum illi respectu ditionum, quas intra alieni imperii limites obtinent, juste possint adigi ad præstanta juramenta de quibus agimus, sive homagia? Majoris evidentiæ ergo distingvimus inter principes, qui territorii cujusdam intra alienos fines domini ita sunt facti, ut potestatem quidem in eo tributa exigendi & jurisdictionis ceteroquin exercenda habeant; ipsa tamen regio ut pars, imperii corpori adhuc sit annexa, adeoque principes ipsi sint communi imperio, ut supereminenti certa ratione obstricti: & principes illos, quibus absolutum alibi est im-

pe-

perium, ex nullo alio domi-
no pendens, sed præterea
provinciam aliquam intra ali-
enam rempublicam heredita-
te aut alia ratione adquisi-
runt, ea tamen cum condi-
tione, ut illa adhuc respe-
ctum ad antiquum imperium
servet, neque inde avelli de-
beat. Quod ad illos attinet,
dubitari non posse videtur,
quin homagio ejusmodi præ-
stanto sint obnoxii, quin
imperio supereminenti id exi-
gendi rationes sint justæ, ceu
ob feudum imperii, cum e-
nim intra limites regni ditio-
nes istæ, quas possident, ut
partes ejus sint sint, totius
interest regni & reipublicæ
(c-

fedulo cavere, ne istæ ulio modo a communi corpore in ejus detrimentū abalienentur & sejungantur, quod facile forcer, si jus hoc homagiorum intermitteretur. Deinde præsentius aliud imperii cujusque periculum id urget, quum... opportuniores vasalli isti sint ad nocendum, ubi male sunt affecti. Nam viribus sunt majoribus instruti, quam ullus civium, & præterea in ipso imperii sinu sedent, ubi & certius tum vires reipublicæ tum consilia cognoscunt, & facilius tum suo exemplo, tum suggestionibus noxiis, ci- ves ad perfidiam ac rebellionem instigare possunt, adeo-

que

que exitiali saepe malo civitatis tranquillitatem turbare; immo hosti liberum per suas ditiones aditum in ipsa regni viscera aperire. Exigit igitur prudentia & publica fatus, ut istiusmodi principes & vasalli, per publicam juratam fidem animi sui candorem omnibus, & ipsi postissimum civitati, manifestum reddant, quo constet, illos ab omnibus machinationibus, tam contra communem reipublicae salutem, quam personam regis abhorre, easque detestari. Tale in usu fuisse sacramentum, & praestitum a vasallis, omnis ævi historiæ testantur. Sic A:o

1349. *Guntherus Romano-*
rum imperator electus, ab
archiepiscopo Moguntino i-
dem exegit, qui & hoc præ-
stitit. Pariter novimus duces
Pomeraniæ in comitiis Augu-
stanis A:o 1530 Carolo V:o
imperatori, sancti Evangelii
verbis manibus impositis, ex
norma concepta prælegente
Archiepiscopo & septenviro
Moguntino, homagium de-
posuisse. (b) Ut taceamus,
quod Carolus IX. regi Sigiso-
mundo, ut suo principi, fi-
dem se servaturum sancte &
illibate, per publice præstio-

B tum

(b) *Conf. Melch. Gold. Ha-*
minsfeldi act. publ. par. VI. pag.
360. E 363.

tum sacramentum, promiserit juraveritque. Ne alia jam innumerā moveamus.

Verum illi principes seu reges, qui prater summum, quod in regno suo habent, imperium, insuper alias distinctiones in alieno regno certis legibus regendas obtinuerunt, quomodo ratione eorum homagia jure declinare queant, non videmus, nisi pactis conventis aliter fuerit constitutum, & domesticum imperium juri suo in istas provincias renunciarit. Eadem enim propemodum hic, atque in superiorē specie, rationes militant, non tantum metus ab alienandarum parti-

um

um imperii, verum & for-
mido periculi tanto gravior,
quanto potentior ejusmodi
princeps est ad nocendum, si
licentia illi quidvis intra amo-
bitum alieni regni moliendi
permittatur. Unde & res ge-
stæ seculorum hoc itidem ge-
nus homagiorum frequenta-
tum docent. Cum primis il-
lustri loco positum est exem-
plum Angliae regum, qui ob
Normandicas, quas in Gal-
liae littoribus jure hereditario
tenuere, ditiones, pudori sibi
non duxerunt, homagium ex-
igentibus Gallorum regibus,
& ipsi quidem Parisiis præsen-
tes, more aucto præstare. Ita
præter alias, hodiernum Sar-

diniæ regem ante hoc bieniam constat, ratione provinciarum Italicarum, imperatori Romano - Germanico, quamquam per ministros suos, sacramento se obstrinxisse. Verum prudentia simul suadet, ut omnis ab hoc negotio contentus & ludibrii species absit, ne potentium ejusmodi principum animi ad noxam inferendam irritentur: quemadmodum Angliae reges, in homagiis dandis petulanter & contumeliose a Gallis se habitos conquesti, magnis postea cladibus Galliam affixerunt.

§. X.

Clericos obligatos esse ad praestanda homagia monstrat.

Quem

Quemadmodum duplicem
majestatem, *realem* a
pud *populum*, & *personalem*
apud imperantes, rebus publi-
cis noxiā, & naturā sum-
mi imperii contrariam esse,
inter saniores omnes constat:
ita quenquam intra finum im-
perii degentem, a subjeçtio-
ne imperio debita exemptum
esse, regulis rationis repugnat.
Hinc si personæ in statu ec-
clesiastico constitutæ, summæ
majestati & imperio æqualiter
cum aliis civibus non subje-
ctæ statuerentur, idem ab-
surdī periculum declinari non
poterit. Clericos itaque in
numerum imperio civili sub-
ditorum jure referri & posse
&

debere censemus. Status enim ecclesiasticus sive personæ sacris operantes, æque ut alii, necesse habent, ut defensione & cura principum sive imperantium, non tantum contra insultus hostium exterorum, verum etiam aliorum, quorumcunque intra civitatem machinationes, fruantur, idque tam respectu personarum suarum, quam possessionum & bonorum. Unde sequitur, ut injunctum & illis sit, tum consentire cum reliquis civibus in unam personam, cui summa deferenda sit maiestas, tum talem suum consensum per publicam confessionem sive homagium, te-
stas

statum facere. Et siquidem hanc ab imperante tutelam expectare velint, necesse est, ut obsequium ei vicissim & fidem præstent. Imperantis ergo interest, certiorem ea de re fieri, ne qui sub sacro latitent pallio, qui nefaria in principem regnumque consilia machinentur: quod utique fieri posse, experientia testatur. Quamobrem & ille jure quosvis ad homagium adstringere potest. Dogmata porro & opiniones de rebus spiritualibus, animam & futuram vitam spectantibus, tales esse, quæ summam apud homines habent vim voluntates & desideria movendi &

& inclinandi, notissimum est. Hę igitur opiniones, si sanx sunt, cum ingens sint stabili-
limen rerum publicarum, imperantis quoque patet esse officium, ut hoc in puncto diligentem habeat curam, ne hæreses noxiæ & pacem tur-
bantes publicam, in civitate vigeant & grassentur: alias e-
nim, ut recte observat cele-
berrimus *BUDDEUS* (c), man-
cum ac mutillum summum
esset imperium. Quare etiam de majestate istorum princi-
pum, qui pontifici Romano
jus circa sacra concedunt, an
vere talis sit, dubitatum esse
no-

(c) in *Theolog. Moral. part.*
post. de off. imp.

novimus. Juste igitur princeps sacramenti religione docentium explorat conscientias. Nec est quod quis dicat, res sacras tanto per se gaudere privilegio & eminentia, ut externa illarum administratio & dispensatio nullius ut capitis in societate summi subiicienda sit curæ. Namque imperii civilis quam maxime refert, cavere, ne in externis illis confusio ac licentia turbas & incommoda pariat civitati. Ut hoc præstari possit, obsequium imperanti debent clerici, & consequenter recte idem, illi spondent. Nec eo suam amisisse censendus est princeps eminentiam, quo ipse certæ

se addictum profitetur religio-
ni: nam consideratio summi
imperantis, ut membri in ec-
clesia, discernenda est a con-
sideratione ejus ut summi in
societate civili rectoris, cu-
jus est curare, quidquid sa-
lutem civitatis quoquo modo
atttingit. Manet igitur verum,
personas ecclesiasticas sive cle-
ricos obligatos esse ad præstan-
da Homagia, & æqualiter
cum aliis in civitate degenti-
bus pro subditis imperio repu-
tandos.

§. XI.

*Quomodo obligatio homagio con-
firmata cesseret.*

Superest gravissima quæstio,
quam tamen pro digni-
ta-

tate expendere non vacat,
videlicet, quomodo aliquis ho-
magii religione solvi possit.
Strictim ergo pronunciabi-
mus. Quemadmodum pa-
cta alia, maxime jurata, va-
lorem non amittunt, nisi aut
mutuo paciscentium consensu
rescindantur, aut alterutrius
perfidia reddantur irrita: ita
idem in homagiis tanto va-
lebit magis, quanto potius
publicum commodum est pri-
vato. Jus enim imperii ad-
quiritur imperanti consentien-
te populo: quod ergo legitime
adquisitum est, non potest ju-
ste ei adimi, nisi consensus
ipsius accesserit, aut ipse le-
ges fundamentales enormiter
con-

concultatum eat, hostemque
publicæ salutis aperte se ge-
rat. Unde hoc subjectionis
sacramento tenentur cives, do-
nec jure civitatis gaudent,
neque solvi possunt nisi qui-
bus imperans emigrationem
permittit, aut quos ob de-
licta solum in perpetuum ver-
tere cogit. Neque illi, qui
ab externo principe vi arma-
ta opprimuntur, ab honiagii
religione, priori domino da-
ta, plane soluti possunt cen-
seri, nisi hic juri suo renun-
ciarit. Qui igitur quascun-
que ob caussas leviusculas,
ut ^{rum} cuiusque commodum
suadet, a fide jurata impe-
ranti dare resiliendi licentiam
sibi

sibi permittunt, patet, quan-
ta se obstringant impietate
in Deum, cuius sanctita-
tem jurejurando invocatam
profanant; persidia in princi-
pem, cuius jus sacramento
confirmatum violant; iniqui-
tate in rempublicam, in cu-
ius damnum factiones ac tur-
bas alunt. Novimus tale
non ita pridem contigisse in
Polonia, ubi homagia multi-
plicata, & fidem juratam
priori contrariam praestitam
audivimus. Sed manum de-
tabula. Licebit vero id nobis
de benevolentia Lectoris spe-
rare, ut quæ minus concin-
ne atque ornate adducta sunt,
serena fronte accipiat, & in
meo

30

meliorem omnia interpretetur
partem.

S. D. G.

